

scientiarum omnium reginam & magistrum, exteris omnibus disciplinis infinita laude non anteponet? Equis etiam nisi perditissimus homo in cælum non feret sanctiorum illam disciplinam, quæ circa nosmet ipsos versatur, quæ de moribus agit, quæ certiori castiorique doctrina præclaris virtutibus animum excolit, atque ad honestatis, ad officii, ad Religionis amorem traducit?

Hæc quidem duo sunt divina oinnino & omnium longe utilissima studia, quibus ad purissimum omnis veritatis scientiarumque omnium fontem D. O. M. & rerum maiestate & morum sanctitate proprius accedere docemur, quoad humani generis patitur imbecillitas.

Nec tamen sua dignitate & utilitate defraudari debet vera & solida Physicæ ratio, in qua non infinitæ de voculis atque nugis controversiaz disceptantur, sed, ut paucis inulta complectar, que cælo, terra, marisque geri atque administrari videmus, quantum pro ingenii nostri mediocritate licet, explicantur. Neque hæc nuda & simplici mentis contemplatione aut conjecturis innixa, sed accurata ratione & captis sapientis experimentis demonstrata. Fructuissimam esse accuratiorem hanc naturæ considerationem, eamque ad omnipotentis ac perfectissimi Auctoris cognitionem nos eveneri, & ad divinas laudes excitare si quis negat.